



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 21. Indifferentia ad locum, officia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Gen. 22. 1. Ut autem à jugulando filio revocaretur, etiam ad vigilantem *de celo clamavit*. v. 11. minus enim calcar ad difficilia, quam ad facilia præcepta exequenda requirebat. Mendoza in 1. Reg. 3. 6.

Vocans ab Oriente avem, & de terra longinquæ virum voluntatis meæ. II. 46. 11. Oleaster: quâ velocitate debeamus exequi mandata Dei nostri, pulchrè hoc loco admone-mur. Gentilis erat Cyrus, non audierat unquam, quis esset Deus Israel; & tamen non ad vocem, sed ad aspirationem, velut avis, volat ad eum.

Ex Novo, & aliis.

Ter apparet Angelus S. Josepho, monens eum de rebus gravissimis, semper in somnis. 1. de altissimo Incarnationis mysterio. Matth. 1. 20. *noli timere, accipere Mariam*. 2. de fuga in Ægyptum. Matt. 2. 13. & 20. de reversione in terram Israel. Cur semper in somnis, & non aliquando in vigilia? S. Paschas. l. 1. in Matth. ut commendaretur obedientia Joseph. Nam, licet iusta omnem humanum captum transcerent, obedienti tamen sufficiens fuit levis insinuatō, etiam per somnum; ad captivandum intellectum cum diligenti operum executione. Sylveira in Act. 16. 9.

Euntes in Mundum universum prædicate. Marci 16. 15. Nullus Apostolorum orbis plagas noverat; nullus tamen excusat; omnes obediunt voci Christi. Gallfridus in allegoriis: in universum Mundum mittit eos, qui vix unam noverant regionem; nec tamen fuit illis dicere: Babylonem non vidi, & locum nescio. Alvarez in Gen. 37. 13. Illustr. 57.

Illæ ut audivit, surgit citò, & venit ad eum. Joan. 11. 29. Non querit à sorore, quid Christus ab illa velit? sed vocata *surgit citò*, moxque se in viam dat: nec præfatur ad eos, qui solandi causâ ad eam venerant, licet essent honorati viri. Amore vulnerata ob-visitur urbanitatis; &, nacta Christi præsentiam, omnia humana, & temporalia, præterit. Sylveira hic c. 35.

Lazarus *prodiit è sepulchro ligatus manibus, & pedibus*. Joan. 11. 44. Ut promptius obediret, nec prius nodos solvit, nè moram in obediendo faceret. Jonghen pro Sacr. profess. Exh. 30.

Cùm sonitum pulsantis audierint, ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis quisque prorumpit: ita ut is, qui opus scriptoris exerceat, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non Audeat. Joan. Cass. de cœnob. Just. l. 4. c. 12. de obed. Monachor.

Motiva.

Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Gen. 41. 40. Hebr. *omnis populus ad os tuum osculabitur*. id est, oris tui præceptum exosculabitur, & venerabitur, ac libenter obediet. Cornelius hic.

Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus &c. Cant. 2. 8. Cùm audieris voces ejus, præcepta scilicet, & consilia, veni ad obediendum, & exequendum celeriter; sinò tædiò, saliens, ut caprea, & hinnulus: quia

nihil Christo gratius, quàm celer, hilarisquæ obedientia de Ponte hic Exh. 4. §. 5.

Factum est verbum Domini in manu Aggai. 1. 1. *Onus verbi Domini in manu Malachie*. 1. 1. *Que locutus est in manu Jeremie* 37. 2. *Dominus sedit, quod locutus est in manu servi sui Elie*. 4. Reg. 10. 10. Pensa, vocem Dei exceptam manu prophetica, non aure. Hieronymus in Malach. manum pro operibus accipe; unde in manu Aggai, & in manu Jeremie, factus est sermo Domini. Velloso in Judith 5. Paron. 18. mora in obediendo foeda.

Stallabo eis, & congregabo illos; quia redemi eos. Zach. 10. 8. Stephanus Cant. in Allegor. Godefridi Tilman: quasi solò sibi opus sit, non prædicationis tubâ. Sylveira in Luc. 18. 27. cap. 31.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. Quid est, neminem salutatis in via? quia iussit nos festinanter agere injuncta. Et hoc ita dixit: *neminem &c.* tanquam diceret: omnia prætermittatis; dum, quod injunctum est, peragatis. S. August. l. 1. de Apost.

Oves meæ vocem meam audiunt. Joan. 10. 27. Cur Christus D. in suis ovibus non commendat, quod lac, vel lanam, præbeant? sed quod vocem ejus audiant, & ipsum sequantur? R. quia maximè in subditis commendatur obedientia. Et *vocem meam*, inquit, audiunt, non voces: quia non egent duabus, ut sæpius illis quidpiam mandetur. Sylveira hic q. 6.

Cum quali affectu obedire oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur? eò affecta, quò esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti. S. Basilii Reg. de inf. Mon. c. 46. de perf. subiect.

§. XX.

Obedientia quibus mediis reddatur facilis.

Nemo melius alicui obtemperat, quàm qui ex charitate obsequitur. S. Ambros. in ep. ad Eph. c. 1.

Obedientia permulta diligens unum, quàmvis multa perficiat, propter unum, & diversa injuncta reputat unum; & diversos præceptores, quæ Dei sunt, præcipientes, existimat Dominum unum; & omnia reducit in unum: præcepta decem, & duo, reducit in unum: quia una est cum uno, ut in æternum fruatur unò. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Ut proficietur cum Maria &c. Luc. 2. 5. Si in cardines portæ strepentes, dum aperitur, & clauditur, oleum diffuderis, nihil postea audies. Amor divinus in obedientia omnia reddit facilia. Stella hic.

§. XXI.

Indifferentia ad locum, & officia.

Num. 1.

Symbola.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Flos campi modò regitur, & regibus blanditur; modò premitur, & vel pecudi pro feno est. Ad omnia,

omnia, & omnibus, floret. Sic Job butyrō modō pedes lavat, modō testā excruciat: & sedet in sterquilinio, qui considebat in folio. Bernardus modō consiliis præest; modō subest monacho. Oliva l. 4. Strom. §. Ego flos &c.

Seraphim stabant, & volabant. If. 6. 2. Obedientiam ad omnia promptam professi illi Seraphini; qui ante Dei solium, stabant, & volabant: non illis alis, quas ad capita habebant; ne ad sublimia tantum anhélare viderentur: neque illis, quas ad pedes; ne viderentur ad sola infima determinari: sed illis, quas habebant ad mediam cordis sedem. Ad designandum, inquit Lorinus, quod Angeli semper sunt parati, & divina ascendere, & ad inferiora descendere; secundum Domini voluntatem. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. Sect. 1.

Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur. Ezech. 1. 12. Non vertebant se ad suaves Orientis ardores; non horrebant septentrionis frigora; non cupiebant zephyros occidentis; ab æstibus austrī non cavebant. Illa erat commodissima regio, illud acceptissimum solum; in quo pravebant obsequium Dei, & voluntatem adimplendam. Oliva t. 2. conc. 10.

Aer & lucis fulgore splendidus fit; & tenebrarum interventu niger, & obscurus. Per se enim nec splendidus, nec obscurus est; sed omni figurā, omni que colorum specie imbuitur; & ad omnium rerum, quas suscipit, motum se accommodat. S. Gregor. Nyss. lib. hexam.

Num. 2.

Exempla.

Moyſes autem pascebat oves. &c. Ex. 3. 1. Moyſes, iram Pharaonis fugiens, pascebat oves. Jam degit in mapalibus, qui aurō micans nuper inhabitabat palatium. Gaudet vel pastoritibus laboribus, quia vitā fruitur: nam ejus studium erat, ultrices manus frustrare; non temporales vitæ commoditates ambire. Naxera in Jos. 20. §. 11.

Surge, accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Math. 2. 13. Nihil ita pati cogitur Virgo, ex quo Mater Domini effecta est; quam solum vertere, nec diu uno in loco consistere. In domuncula Nazareth Jesum concipit, in specu Bethlehem parit, offert in templo Jerosolymis; in Ægypto abscondit. Et hic ex Palæstina in Ægyptum abiturus quot calamitatibus implicatur: puer recēns natus, Joseph propē senex, Virgo mirē pulchritudinum multiplicitas, viatici inopia, aeris in clementia, religionis diversitas. Quodque his durius est, Bethlehem deserit, ubi jam cœli reperat, regēsque adoratores habuerat: & in Ægyptum mittitur, ubi, idololatriā regnante, nulla à civibus spes honoris, aut cultus in Deum affulgebat. Adde, hæc omnia summā nocte imperata, & ante auroram impleta. Et tu Religioſe, cum indifferentia loca desere tibi chara, & opportuna, Oliva lib. 12. Strom. §. surge &c.

Data sunt mulieri due ala aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum &c. Apoc. 12. 14. Desertum petit, ubi nullæ delicia, nullæ commoditates; imò horridus locus, spinis ac sentibus, squalens. Olim stellis fulgida; nunc in desertorum caligine abdita. Quia ibi anxia, hic quiescit pacatissime læta: fugiebat serpentinam iram; nec curabat corporis commodum, dum tuendæ vitæ invenerit refugium. Naxera in Jos. 20. §. 11.

V. P. Josepho Anchieta Provincialis liberum fecit, quæcunque sedes ejus animo maxime colliberet, eam sibi extremæ senectutis quietem adoptare. Sed eā uti facultate sibi religioni duxit, de qua re ad P. Ignatium Tolosam ita scripsit: P. Provincialis optionem mihi dedit, quamcunque vellem mihi sedem eligendi. Non me libertas tanta delectat: est enim sæpe cum coecitate conjuncta, & periculō, à recto tramite aberrandi; cum, quid sibi maxime conveniat, dispiciat nemo. Vita l. 5.

Num. 3.

Indifferentia facit lutum.

Quid timidi estis, modice fidei? Matth. 8. 26. Cur sic reprehenduntur? quia ingressi sunt navim ex Christi mandato. Matth. 8. 18. Et ideo erant in fide timidi, & debiles; qui in loco à Deo iis decreto erant, & damnum timebant. Nullibi enim homo securior degit, quam si ibi consistat, ubi divina manus eum constituit. Jonas in navi naufragium patitur, & in bellua securus est. Navem elegit voluntate propria. c. 1. 3. ceteri ipsi Deus præparavit. c. 2. 1. Sylveira hic.

Num. 4.

Malè est propriæ electioni.

Vadam, & video illum, antequam moriar. Gen. 45. 28. Jacob senior jam effectus suā sponte descendere voluit in Ægyptum, ut filium suum salutaret. Profectus cum magno gaudio, ecce tibi in ipsa via, nescio quō timore percussus hæret; adeo ut opus fuerit ab ipso Deo animari, & urgeri. Gen. 46. 2. Unde tantus timor? timuit, quod Deum antè non consulerit, quod divinum imperium non expectaret; sed propriam securus voluntatem, quam suspectam habebat, tradiderit se in viam; ac si ita secum loquatur: quod mea me trahit voluntas? juvenis divinæ semper parvi voluntati, senex audeo parere meæ? Absit hoc à me! hinc ultra non progrediar, nisi progredi à Deo imperetur: præstat filium non videre, quam Deo non obsequi. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. Sect. 1.

Cyrat per meridiem. Ecclæ 1. 6. Hoc dicit Ecclesiastes eō fine, ait Pineda, q. d. non contentus sol motu unius hemisphærii diurno, alias etiam cœli appositæ plagas tentat, & percurrit. Sed non ideo quidquam majoris quietis, aut felicitatis, adeptus ex annuo labore, quam ex quotidiano: nihil in meridie, aut aquilone, ampliùs inveniens; quam in Oriente, aut occidente. In quo representatur humani cordis inconstantia; & illam, velut innatam, loca mutandi, & novas semper stationes expetendi cupiditatem.

cupiditatem, ut melius habere possit. Sed frustra: locus enim cupiditatem non minuit, nec internas passionis animi eruit; sed potius exulcerat. Cornelius hic.

Inventus à quodam lapis quadratus, in cuius parte superiori scriptum: *latus meum doleo; ideo verti volo.* Vertit in omne latus, & eadem verba. Sic non indifferentes scribunt: mitte me huc, nullibi illis bene. Brogmard. sum. predic. Inconstantia.

Num. 5.

Periculosa propria electio.

Est civitas hæc iuxta, ad quam possum fugere; & salvabor in ea. Gen. 19. 20. 30. Angelus annuit petitis: At ille urbem ingressus, non se tutum putans; nè & illi, quod Sodoma, eveniret, *ascendit de Segor, & mansit in monte.* v. 30. In quo ostenditur; nos non posse securitatem invenire in eo loco, ubi nos cogitamus; sed in eo, in quem nos Deus per superiores dirigit, & ire precipit. Diez. Obed. mandator. Dei. Videmus malè cessisse Loth electionem suam, qui iussus montem conscendere, elegit civitatem. Sic ruunt, qui contra Dei verbum proprio suo sensu, bonâ etiam intentione sese regere præsumunt. Lipoman. apud Baezam t. 2. l. 6. c. 4. §. 1. qui addit: ut securissimus est locus, ad quem me Deus vocat, & trahit iussione suâ; sic suspecta sint tibi omnia loca, & munia, ad quæ voluntate tuâ trahis Deum ipsum. Bene timuit Loth locum illum, quem ipse sibi arbitrato suo elegerat; & prudenter maiorem sibi promittit securitatem in monte, ad quem se recipere iussus erat à Deo.

Assumpsit eum diabolus in mentem excelsum valde. Matth. 4. 8. Ut locus esset occasio consentiendi tentationi: sciens, ex mutatione locorum, frequenter mutari affectum. Dionys. Carthuf. hic. Angeli, dum in caelo resident, in quo creati sunt à Deo; in gratia, & sanitate, se exercent: at verò cum affectarunt exaltare solium suum super astra Dei, & sedere in monte testamenti II. 14. 13. in Infernum ceciderunt. Sylveira hic. q. 24.

Num. 6.

Indifferentie varia motiva.

Invenit in ipso anno (sterilitatis) centuplum. Gen. 26. 12. Unde patet, hanc totam messem non per stationem non per agrorum fertilitatem; sed per miraculum Dei beneficio obtigisse Isaac: ut ex uno modico à se seminato meteret centum modios. Nota: Isaac, quia Deo iubente. v. 2. mansit in Geraris, hinc ibi à Deo locupletatus est: ita ubicunque quis manserit Dei voluntate; ibi à Deo benedicetur, & prosperabitur. Cornelius hic.

Confide in Deo, & mane in loco tuo. Eccl. 11. 22. Hoc dici potest Religiosis sollicitè procurantibus mutationem, Cornelius in Eccl. 10. 4.

Pasce populum tuum in virga tua in medio Carmeli. Michæ 7. 14. Orat Deum Mi-

chæas, ut virgâ suâ pastoralî, id est, providentiâ suâ paternâ, pascat, regatque Judæos. *In medio Carmeli.* q. d. quasi in horrido, & spinoso saltu ita in Babylone constitutos pasce ita securè, & largiter; ac si essent in Carmelo patrio, herbido: fac ut Babyloni eis sit Carmelus; sicut fecisti, ut tribus pueris fornax Babylonia esset hortus, imò paradisus. Dan. 3. 50. Cornelius in Michæam hic.

Nihil interest, ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis. Tertull. l. ad M. M.

Quisque veltrum, ubicunque est, se primum, deinde alios, juvare studeat; inducatque in animum: nusquam se melius, quam ubi à Præposito constitutus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidite, Deum, ubi tempus fuerit, hanc iis, qui præsumunt, mentem daturum; ut eos potissimum mittant, ubi vellet labor fructuosissimus sit futurus. S. Xaverius l. 3. ep. 5. Societati Goam Cangoximâ.

Miscellanea.

Revertere, & dormi. Eccl. 1. Reg. 3. 6. Suspensus Heli, Samuelem vocari à Domino, jubet illum ad lectulum redire, & dormire. Quale hoc præceptum ad puerum, qui expectabat se à Deo vocandum? cur non potius monet, ut oret, vel aliud virtutis insignie opus faciat? S. Gregor. l. 2. in Reg. c. 3. redire ad fomni quietem Samuel finitur; ut profectò nec ea, quæ sunt minima, contemnamus. Baeza t. 3. l. 14. c. 12. §. 3.

Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Non dicunt cum Regulo, Joan. 4. 49. *Domine, ascende, priusquam moriatur;* credentes, quod absens posset sanare. Nec eum Centurione, Matth. 8. 8. *tantum dico verbo;* sed modum subveniendi Christo committunt, tanquam sapientiori. Ità & nos facere par est; cum à Superioribus aliquid postulamus: videlicet, ut modum exaudiendi committamus bonitati, & discretioni eorum; nisi forte ex hoc immineret periculum. Dionysius Carthuf. hic.

Illud optimum dixerim obedientiæ gradum; cum eo animò injunctum opus recipitur, quò & præcipitur. S. Bernardus tr. de præcepto, & dispensatione.

Multum Achates prodest contra venenum, & maxime vipera: sic etiam vera obedientia contra inflammativum venenum superbiæ hominem fortè defensione tutetur. Albertus M. l. de convers. S. Pauli.

§. XXII.

Inobedientia.

Num. 1.

Pœna, & damna.

Quinque cognovissent se esse nudos. Gen. 3. 7. Primus homo, postquam obediens esse desit, nudum se esse cognovit. B. Eucherius s. in deposit. S. Honorati. Simulatque Deo non obtemperaverunt, ac terra, cinisque facti sunt; simul cum beata illa vivendi ratione Virginitatis decus amiserunt: & unâ cum Deo semigravit ab eis castitas virginalis. Nam quamdiu à diaboli servi-

tute